


IN SACRA

NONNVLLA POMPEIORVM

COMMENTARIA DVO

RAYMVNDI GVARINI

Editio altera auctior, atque emendatior.



NEAPOLI,
Apud Raphaelem Miranda
1830.


Ne libri molem ; potius metire laborem ,
Qualesque in modico concilientur opes.

IN SACRA

NONNVLLA POMPEIORVM

COMMENTARIVM VI.

PRAELOQUIVM.



Pompeiani marmoris olim siglis quibusdam insolentibus incitatus, iis in enodandis operae pretium non leve statim collocandum duxi. Et quamquam non in omnibus collineasse primo talorum iactu contigerit, quod fateri minime pudet; in exemplorum tamen generis huius non infrequentia tantum, verum solitudine mera, satis visum eruditis, auctori opus, non auctorem operi defuisse suo. At Musei inter Borbonici amplissimi lapides literatos quadriennium fere detrito, ex-

tritoque, eosque non callente oculo, qualis τῶν κριτικοτάτων, sed gerulorum potius manu assidue tractanti, alia porro, atque alia se ultro saxa dedere, partim integra, partim ad calamitatem usque mutila, ac discerpta, iisdem insignita siglis, quae in unum coacta, et iusti voluminis formam impleverunt, et rei totius longe accuratiorem exhibuere notitiam, ut ii norunt, quorum in manus venit Commentarium nostrum VI. typis vulgatum an. 1823.

Hoc in Commentario, praeter alia, statueram, Pompeis quondam cum *Ministris Augusti* fuisse et *Ministros Fortunae Augustae*: sed posteriores hosce tamen prioribus illis institutione paullo suppares. Ad haec: conieci, *Aedem Fortunae Augustae* Pompeis extitisse, oportere, cui peculiares essent addicti Ministri, dicti idcirco *Fortunae Augustae*, quo a *Ministris Augusti* secernerentur; coniecturaeque fidem fecit eventus. Nam anno insequente de Pompeiorum effossionibus talia prodiere monumenta, quae rem omnem, citra spem, non ultra vota, ita confirmarunt, ut ne hiscendi quidem contra locus su-

peresset. Additum propterea Commentarium alterum, ordine VII. anni 1825, quo res universa est cum eruditis communicata, quorum animos novitate anxios, suspensosque praesenseram.

Verum enim vero in duplici hoc Commentario, ut in re tumultuaria, est quod viri sedati desiderent adhuc: est multo magis, quod desiderem ipse. Typorum errata non pauca; nostra multo plura. Quaedam namque in his trepidanter insinuata, quae post perpensa maturius, cum iisque collata, quae deinceps de Pompeiorum ruderibus sunt congesta, fidem extorquere videntur vel ab invitis. Temporum supputatio, ordoque interdum praeter, interdum etiam contra τῆς χρονολογιας ἀκριβειαν, ex eo. quod titulorum generis huius nec ampla tunc seges, nec tota simul scribenti inter adversa omnia oblata. Haec in duplici illo Commentario incommoda graviora, quibus nunc visum est duplici hoc alio Commentario succidaneo succurrere. Numeri VI. et VII. sarti tecti iisdem reservantur, ne constituta olim his series interrumpatur. Primum itaque erit de

Ministris Augusti: alterum de *Ministris Fortunae Augustae*. Utrique haec communia.

1. *Ministri* haud semper de grege *Servorum*, uti hactenus creditum. *Ingenui* quoque haud raro in scenam prodeunt. *Libertorum* numerus multo maior.

2. Initiales D. V. V. A. S. P. PROC. nec ultra Augusti, nec citra Tiberii tempora in Pompeianorum titulis, quos nôscere hactenus datum est, occurrunt.

3. Initiales easdem sic interpretamur: *Duumviri votis Augusto susceptis publice procurandis*. Cur, inquies, non *vota* magis *Augusto sacra*? Sic ante visum. In aliud nunc animus inclinat. *Vota* namque, utpote unius Dei propria, *sacra* omnia. Otiose igitur τὸ *sacrum* adderetur *voto*, in formula praesertim, quam brevitatis studiosissimam esse, oportet. Cumque initiales hae Pompeiorum ἰδιωτικαὶ sint, si *Pompeios* latitasse in penultima P. velis, ultro tibi socia arma feram. Haec ad promulsidem satis. Caetera loco, et tempore quaeque suo apponentur. In titulis proferendis, ubi de illorum aetate certo, vel fere constet, ad laevam annus V.

C. adnotabitur, ad dextram annus Aer. Vulg.

§. I.

Ministrorum Augusti prima institutio, conditio, ac dignitas. Initiales cur ita redditae, ut factum est, explanatur.

A fragmento exordimur. Utrum auspicato, viri docti iudicent:

I.

. . . . .

. . . .

. . . .

Imp. CAESA*re*

AVG. V. . *M. Silano. Cos.*

V.C. 729. *Ante* A. V. 25.

D. D.

. . . .

. . . .

Nullus dubito, quin τα *Aug*. V. . . . referenda sint ad nonum, vel octavum Octavii Consulatum. Nota enim V. ultra progredi non sinit, nec citra, cum *Augusti* cognomen inditum Octavio fuerit an. V. C. 727 Si igitur *Min. Aug*. in lineis superioribus, quae desunt, fuerant recensi, facile *Primi*

dicti hoc anno, vel proxime antecedente. Quod si verum sit, Pompeiani cum primis sine dubio de Augusti cultu certarunt. Pompeiorum profecto cura in Augusti cultum intenta adeo fuit, ut ex iis, qui primores erant, *servos* illius *ministerio* certatim addixerint; qui humiliores, qua *Liberti*, qua *Ingenui*, ipsimet sponte eidem se *ministerio* mancipa-rint, uti ex Pompeianis titulis evidentissime patet. Sequitur marmor plane singulare, et consideratione haud perfunctoria dignum.


2.

P. STATILIVS. AGATHO
MINISTER. D. D
IMP. CAESARE. IV
V. C. 729. M. SILANO COS. *Ant. A. V.* 25
*N*oVATVM. P. ALFENO
V. C. 755. P. VINICIO. COS *A. V.* 2.
IVSSV
M. POMPONI. MARCELLI
L. VALERI. FLACCI. D. V. I. D
. . LVCRETI. . . L. ORFI. L. F

Bene res habet. Nam ecce tibi de grege Ministrorum P. Statilius Agatho, Libertinus homo sine dubio; et hic quidem *Minister*, non tamen *Augusti*. Versus ultimus in litu-

ra est inferne, ita tamen ut aciem acrius intendenti conspicua sit vox *Lucreti*. Ad an. V. C. 785. obviam se dabit *M.* quidam *Lucretius Manlianus*, idemque D. V. I. D., et ad an. 787. *M. Lucretius* idem, sed *Praefectus* I. D. cum *D. Lucretio* D. V. V. A. S. P. P. quos *Lucretii* huius filios, aut nepotes fuisse, aequum est cogitare. De Gente *Orfia* vide Gruterum (a). Sed haec leviora. Graviora modo urgent.

Quid *novatum* ad annum 755.? *Sacrum* puta. Atqui, si *novatum*, ergo *institutum* antea. Ne dubites; idque factum tene iam ab anno 729. Eodemne lapide, iure sciscitaberis, sine ullo characterum discrimine, et sacri *institutio* celebrata ad an. 729; et sacri eiusdem *novatio* post annum sextum supra vicesimum? His adde, quod pro primi *sacri* institutione cietur P. Statilius Agatho, quem aegre traxeris ad *sacri novationem*. Nodo huic solvendo haec aptior mihi via videtur. Duos in unum coisse titulos, quorum



(a) Pag. 1006. n. 4.

primus decucurrit seorsum insculptus per integros quatuor versus priores. *Novato* deinde sacro post annos viginti sex, ut *institutionis*, et *novationis* in unum memoria perennaret, descriptae e vetustiori lapide quatuor lineae priores in titulum unum, continuumque coagmentatae sunt ad an. 755. Quid sit *novare sacra*, loco opportuniore infra discutietur. Nunc cui *sacrum* hoc et *institutum*, et *novatum* fuerit, coniectura saltem assequi conabimur.

Debellato Antonio, omnium celeberrimus triumphus Actiacus. Inde Octavio *Augusti* nomen decretum, Senatus sententia, anno V. C. 727. Octavius, compositis Aegypti rebus, Romam rediit anno 729; quo ipso anno putarim, abs Pompeianis *institutum*, celebratumque hoc ei *sacrum*, quod deinde *novatum* ad annum 755. Sed iam triennio ante ad minus, nempe 752. processerant Pompeis *Ministri Augusti*, de quibus altum in marmore nostro silentium. Res itaque acta in Augusti obsequium, sed per alios a *Ministris Augusti*.

Ministros inter *Augusti* Pompeianos raro

obviant homines ingenui, quos pronum est coniicere, libere omnino se huic ministerio mancipasse. Eademque de Libertis conjectura esto; qui longe plures numero occurrunt. Quorum fortasse non pauci, servitute depulsa, in ministerio libere perseverarunt, cui olim sub dominis necessitate fuerant obstricti. Ministrorum autem de grege servili seges multo longe uberior, de quibus hoc adnotatu dignum. Nulli fere inter hos *Servi publici*: *privati* omnes, si unum, vel duos excipias, quorum incerta conditio, ut ex adiectis Dominorum nominibus manifestissime patet. Ex quo illud etiam colligi datur, nullos extititisse Pompeis primores, qui *Ministris Augusti* caruerint. Quod minime mirandum videri debet. Nam postquam Augusto decreti a Tiberio fuere et Augustales, et ludi Augustales, templaque, religionesque propriae; *cultores Augusti per omnes domos in modum Collegiorum* habebantur; tantaque sanctimonia, ut eodem Tacito referente (a), crimini olim

---

(a) Annal. Lib. 1.

Falanio datum, quod inter *cultores* Augusti *privatos* Cassium quemdam mimum, corpore infamem, adscivisset. Pompeianorum interim civium, quorum servi cientur *Ministri Augusti*, ecce tibi, quae nunc supersunt, nomina :

Allei	*Holconii*	*Piricatii*
Arellii	*Istacidii*	*Popidii*
Arrii	*Lacutulanii*	*Salarii*
Arruntii	*Lollii*	*Sittii*
Caecilii	*Melissaei*	*Sornii*
Caesii	*Mescinii*	*Stronii*
Caprasii	*Messii*	*Veii*
Ceii	*Naevii*	*Vettii*
Decidii	*Numisii*	*Volusii*
Helvii	*Ollii*	
Herennii	*Oppii*	

Neque id mirum Pompeis praecipue, ubi *Pagus Felix Augusti* ipsius nomine insignis.

Sed iam ad Ministrorum Augusti institutionem propius accedamus.

Hos certo certius constat, extitisse Pom-

peis an. V. C. 752; adeoque biennio ante Aeram nostram. Sed illorum institutionem id temporis praevertisse aliquantisper, vix dubitandum. Cum enim *Ministri* Fortunae Augustae dicantur *primi* in titulis, cum primum eos institui Pompeis contigerit, deinde sine additamento alio *Ministri Fortunae Augustae* nuncupentur; cur non idem factum putabimus pro *Ministris Augusti*? Lapis ergo, quo *Ministri primi* salutati fuere, periit, aut delitescit adhuc: pars dumtaxat illorum, in quibus *Ministri Augusti* ἁπλως appellantur, ad nos pervenit. Quod si de *A. Clodio Flacco* loquitur Fragmentum, quod heic referam, coniecturae nostrae non leve accedet auctoritatis pondus:

2.

. . . .

. . . .

*Ius*SV

. . LI. CELERIS

A. Cl*odi*. FLACCI

. . . . . . IO. COS

Dolendum, bigae consularis vix duos, eosque postremos, superesse characteres, quae si integra legeretur, tenebrae omnes difflatae illico forent. At si nomen *A. Clodii Flacci* recte est restitutum, est quo malo huic saltem ex parte occurramus. Quandoquidem *A.* hic *Clodius Flaccus* tertium D. V. I. D. procedit cum *Holconio Rufo* ad an. V. C. 752; uti ex titulo insequente. Bini ergo praecesserant Clodii Flacci Duumviratus. Fac, sine intermissione continuatos illi omnes obvenisse. Ergo primus Flacci IIviratus referendus ad an. 750. Flaccus interim in fragmento nulla se conspicuum praebet Duoviratus nota, quae aut nulla extitit, aut per fracturam deleta, quod posterius putarim probabilius. Si nulla fuit: privati hominis limites nondum excesserat. Fragmentum idcirco ultra an. 750. excurrit. Si per fracturam abolita nota Duumviralis; fragmenti aetas incidit in annum 750, aut 751. Sed nolo incertis insistere diutius.

3.

A. VEIVS. PHYLAX
M. POPIDIVS. MOSCHVS
T. MESCINIVS. AMPHIO.
PRIMVS. ARRVNTI. M. S
MIN. AVG. EX. D. D. IVSSV
M. HOLCONI RVFI. IV
A. CLODI. FLACCI. V
D. V. I. D
P. CAESETI. POSTVMI
N. TINTIRI. RVFI
D. V. V. A. S. P. P.
C. *cae*SARE. XIII.
COS
V.C.752. M. PLAVTIO. SYLVANO *A. V.* 2.

Tintiria gens nunc mihi primo obvia est. Holconius, quo tempore D. V. quartum agebat, *Augusti* Sacerdotio fungebatur. Do tibi testem sine calumnia testabilem:

M. HOLCONIO RVFO. D. V. I. D.
IIII. QVINQ.
TRIB. MIL. A. POPVLO AVGVSTI
SACERDOTI. EX. D. D.

Accipe nunc de *Sacerdote* Augusti viventis *Flaminem* creatum :

M. HOLCONIO V. F. RVFO.
D. V. I. D. QVINQVIENS
ITER. QVINQ. TRIB. MIL. A. P
FLAMINI AVG. PATR. COL. D. D

Optas adhuc Pompeis Sacerdotes Augusti inter vivos agentis? Praesto erunt tibi de *Gente* eadem , cui *Celeris* cognomentum :

M. HOLCONIO. CELERI
D. V. I. D. QVINQ. DESIGNATO
AVGVSTI. SACERDOTI

το *designato* ad *Quinq*. potius traxerim, quam ad *Sacerdotium Augustaeum* Nam et quintum Duumvir hic processit :

M. Holconio. CELERI
SACERDOTI. DIVI *Aug.*
IIVIR. I. D. QVINQ

Ad haec :

M. HOLCONIO. M. F. *Celeri*
SACERDOTI. DIVI. AVG.

Augustus ergo adhuc vivens *Divi* potiebatur cognomine, quod notatu dignissimum. Quippe Tacitus Annal. XV. cum Cerialis Anicius, Consul designatus, pro sententia dixisset: *ut templum* DIVO NERONI *quam maturrime publica pecunia poneretur*; addit: *quod ad omina olim sui exitus verteretur, nam Deûm honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Quae Taciti verba non utique de divinis honoribus Principi habitis accipienda utique sunt, sed de DIVI nomine, quod nonnisi mortuis tribuebatur. Nam idem alibi de divinis honoribus Augusto viventi habitis affatim memoravit. Redeo ad M. Holconium Rufum V. Duumvirum I. D. qui honos si ei continuatus obvenit, ut valde probabile, incidit in an. V. C. 753. Nec mirum. In Municipiis quippe, Coloniisve non ea virorum illustrium seges, quae Romae, in qua Consules, Imperatoribus exceptis, raro iterati, multo minus continuati. Holconiorum praeterea praeclara in Pompeianos colonos merita, horumque in eos favor promptissimus, quorum et Holconius patronatum agebat. De *Tribu Oufentina*

possis accipere initiales V. F. Sed forte et pro *Q. Filio* : nec te exempla deficient (a) praenominis *Quinti* per initialem V. designati. Notandum praeterea. Holconium *Augusti* adhuc viventis *Flaminio* decoratum. Ad marmor nunc nostrum praecipuum redeo, de quo hoc unum. Octavii consulatus tertius supra decimum consignatur ad an. V. C. 752 ; quo suis defungi muneribus monemur tum *Ministros Augusti* , tum $\overline{II}$VIR. V. A. S. P. P.

Augusto adhuc inter mortales agenti templa , sacerdotia, ministeria fuisse addicta (b), et saepius innuimus , et ignorare nemo unus potest. Notissimum vel puerulis Virgilii illud (c):
Hic illum vidi iuvenem , Meliboee , quotannis
Bissenos cui nostra dies altaria fumant.

Plenius hoc Horatii (d) :
Praesenti tibi maturos largimur honores ,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

(a) Gruter. pag. 729. n. 2.
(b) Annal. L. I.
(c) Ecl. I.
(d) Ep. I. Lib. II.

Idque adeo verum, ut mortuo, cum de funebribus ageretur, obiectum a quibusdam sit: *nihil Deorum honoribus relictum, cum se templis, et effigie numinum per Flamines, et Sacerdotes coli vellet* (a). Qui vivo fuerant attributi divini honores, et defuncto aucti summo studio, ac religione Tiberii, in quam rem non omittendus locus Taciti (b) alius insignis: *sepultura more perfecta, templum, et caelestes religiones decernuntur*, per Tiberium intellige. Sed Tiberio e vivis sublato, *Ministri* quidem *Fortunae Augustae* in Pompeianis lapidibus obviant, semel ad an. V. C. 797; iterum ad annum insequentem 798. denique ad annum 814. aeraeque vulgaris unum supra sexagesimum. At de *Ministris Augusti*, itemque IIviris V. A. S. P. P. nulla usquam iniecta amplius mentio. Unde hoc discrimen arcessas? Tiberium consecuti Principes, maioribus neglectis, divina, humanaque omnia ad semet invidiose trahere conabantur,

---

(a) Tacit. *loc. cit.*
(b) *Ibid.*

*

vix, aut ne vix quidem sustinente Caligula, sibi aequari Iovem. *Ministros* hinc *Fortunae Augustae* facile tolerabant, quod *Fortuna Augusta* de Augustis pro tempore intelligi recte poterat. *Ministrorum* ex adverso *Augusti* cum D. V. V. A. S. P. P. refricari sine periculo memoria nequibat, quod utrique *Augustum*, eumdemque *Deum*, unice, et sine nucleo, ut ita dicam, attinerent. Ex quibus, nisi fallor, initialium Pompeianarum et genuinam explicationem, et confirmationem opportunam, minime cerebrosam, habes: nec haesitabis porro, quin sub quarta initiali A *Augustum* ipsum olfacias. Munera demum tum Ministrorum huiusmodi, cum IIvir. *votiva* haec *sacra procurantium*, nullus dubito, quin *sacris* omnino, non *civilibus*, multo ante tute ipse accensueris.

§ II.

Ministros haud perpetuo servilis extitisse conditionis, uberius demonstratur.

Qui *sacris* ministrabant, οἱ γενικῶς ministri dicebantur, *Popaeque* adeo, *Molarii*, *Victimarii*, *Turarii*, *Tibicines*. *Tubicines*, *Unguentarii*, caeterique generis eiusdem, uno *Ministrorum* nomine comprehendebantur. Ministrorum itaque munus penitus servile. Quod verissimum quidem de natura ipsa muneris, sive officii, non item de Ministri conditione, quam liberam non raro fuisse, satis ex superioribus patet. Fabrettio tamen (a), Hagenbuchio (b), et Marinio (c) nuper, aliter visum est, qui Ministros contendunt numquam ultra servilem nexum adsurrexisse. Quamobrem et nobis visum est, hac de re adhuc ampliandum nonnihil.

(a) Pag. 464. 6.

(b) Epist: epigraph. p. 202.

(c) Oss. T. XXXII p. 416, not. 324.

Fabrettius itaque, qui opinionem hanc mordicus more suo tuetur, unico eam suffulcit lapide Gruteriano (a), in quo post sena *Magistrorum* nomina, *Ministri* quatuor enumerantur, *servi* ad unum omnes. Atqui si mos iste paullum invalescat ex uno, alterove exemplo canones sanciendi generales, verendum, ut hi in re epigraphica brevi sint numero exaequaturi res ipsas, de quibus, illorum ope, compendio nos moneri oportuerat. Caeterum cum in his essent viri hi summi, eos latuisse necesse est titulum Reinesianum disertissimum (b), quo *Ministri* duo cientur, iidemque *Preimi*, plane *ingenui* ambo. Ecce illum tibi:

(a) Pag. 189 n. 1.

(b) Clas. Quint. LI.

P. ROSCILIVS. P. F
CL. PRISCVS
Q. ROSCILIVS. M. F.
CL. SABINVS
MINIST. PREIMI ·
M. ROSCILIVS. C. F
LATINVS
T. ROSCILIVS. C. F
APER
L. ROSCILIVS. L. F
SEX. ROS*cilius*
CL. N . . .
P. ROS*cilius*
CL. . . . .

Suppetebat et lapis alius, quem Sponius (a) producit, Romae effossus *in monte Aventino, qua parte eam regionem urbis respicit, quae Piscina publica dicebatur*, *circa*

(a) Pag. 23. et seq.

Domus Parthorum ; in quo de homine ingenuo ministris inserto aperta mentio est :

M. AVRELIO. COMMODO. ET. QVINTILIO. COS
XVI. KAL. FEBR. FONTINALIA. FECERVNT
A. SEPTIMIVS. VALIDVS. AVGVR. ET. FLAMEN. DIALIS
T. FERVIVS. T. F. SILVANVS. MINISTER. FONT. LOLLIANI
Q. PROCILIVS. SEX. F. SEVERIANVS. MAGISTER

Titulum hunc Sponianum allegat Cl. Marinius. *Ferviumque Silvanum* hominem *ingenuum* fatetur ingenue. Sed titulum tamen omnem ad Ligorianas tabernas parum comiter ablegat. Adeo in summis quoque viris praeconceptae olim animo opiniones possunt ! Verum ecquo tandem lapidis vitio ? triplici nimirum, ait ille, accusatione per digitos, Hortensiano more, ducta. Age, audiamus. Nec enim fas, in re capitali, uno accusatoris verbo, reum damnari.

1. Fontinalia, inquit Marinius, die Octobris XIII. agi consuevisse, Kalendaria clamant. At in titulo Sponiano cietur ad id dies XVI. Kal. Februar.

2. Quid *Fontinalibus* commune cum *Flamine Diali*?

3. *Magistrum* cieri oportebat ante *Ministrum*, quod secus factum.

Sed marmori Sponiano fides constat e Pompeianis nostris, quae nullo liceat ariete movere de loco, ne dicam, infringere. Nec prodigii instar erunt ministri non libertinae dumtaxat, sed ingenuae etiam conditionis, iis, quibus perspectum, Arvalium pueros matrimos, patrimosque, de nobilissimis familiis non modo lectos, verum selectos omnino antiquitus fuisse. *Fontinalia*, concedimus, Romae agi consuevisse ad diem XIII. Octobris. At unde rescitum Marinio, Sponianam inscriptionem ad ritum Kalendarii romani decurrere? fortassis referenda ad Municipale quodpiam Kalendarium. At versemur etiam in romano Kalendario. Quaenam in hoc *Fontinalia* ad diem XIII. Octobris consignantur? *stata* nimirum, et *publica*, cum Sponiana interim et *extra ordinem*, et *privata* esse potuerint, ut *Fons Lollianus* ibi memoratus innuere videtur.

Adeone porro incredibile, Flaminem Dialem, aquae penuria laborantem, privatum curas-

se Fontinale sacrum cum Fontinalium Magistro, ac Ministro? *Ministrum*, reponit, cieri oportuisset post *Magistrum*. Qua in tabula, rogo, aenea, aut lapidea lex huiusmodi sancita? in titulis Pompeianis *Ministri* perpetuo omnes antistant, etiam D. V. I. D. Ne plura. Mariniani scrupuli inde profecti sine dubio, quod animo alte olim insederat, *Ministros* conditionem servorum numquam potuisse transcendere. Quod praeiudicium si licuisset per occasionem exuere, abstinuisset vir cum paucis comparandus, ut nodum in scirpo, sic cavillandi ansam quaerere in marmore Sponiano.

Verum quidquid denique sit de Sponiano epigrammate, opinionem certe Marinii convellunt radicitus Pompeiani lapides adhuc prolati, longeque plures ex ordine proferendi, in quibus *Ministrorum* gregi passim cum *Servis* immixos videas trinomios homines, qua *Libertos*, qua *Ingenuos*. Et sit quidem Ministrorum, ut hi putant, servile munus: sed non adeo tamen, ut persuasum ipsis est, humile, ac neglectum, in re praesertim *sacra*. Esto et in hac quoque contemptissimum. Sed qua lege vetitum, sua utentem, fruentem-

que libertate minus liberali se mancipare ministerio, sive id libido suadeat, sive egestas, omnium magistra potentissima, extorqueat? Qui infra sunt constituti, altiora ne adfectanto, quae procerum in re publica sunt: at qui aliis eminent, liberum esto, ad hos se demittere, si placeat.

Sane in titulo 3. §. proxime antecedentis quatuor occurrunt Ministri, quorum tres priores libertini generis, nempe: 1. *A. Veius Phylax*. 2. *M. Popidius Moschus*, 3. *T. Mescinius Amphio*. Nam quartus, qui *Primus Arruntii* appellatur, sine cunctatione *Servus*. Falsa tamen, quam olim huius rei, attulimus, ratio. Initiales enim M. S. nec *Magistri*, nec *Maioris servum* insinuant, sed *Monaulon*, aut *Molarium Sacrorum*. De *A. Veio Phylace* haec nunc addenda, quae loco suo omissa sunt per incogitantiam. Hunc igitur *A. Veium Phylacem*, qui caeteris praeit Ministris, Libertini generis habeo, et *Phylacis* filium, qui libertatem fuerit assecutus ab *A. Veio. M. F.*; de quo sic habet titulus hic alter Pompeianus:

A. VEIO. M. F. IIVIR
ITER. QVINQ. TRIB
MILIT. AB. POPVL. EX. D. D

De *Minisiris Augusti* paucula adhuc, ut non sine gratia denique dimittantur. Hi omnino ita Augustum attinebant Pompeis, ut Larino *Martiales*, in Sicilia *Venerei*, quorum hi Veneri, illi Marti consecrati erant. Praestat, rem omnem a Tullio (a) discere: *Martiales quidem Larini appellantur Ministri publici Martis, atque ei Deo veteribus institutis, religionibusque Larinatium consecrati, quorum cum satis magnus numerus esset, cumque item ut in Sicilia permulti Venerei sunt, sic illi Larini in Martis familia numerantur.* Tullio igitur teste, hi Ministri omnes erant et *consecrati*, et de *eius Dei familia*, cui inserviebant. Tales itaque habeto in omnibus Ministros hosce Augusti Pompeianos, qui Deo Augusto fuerant consecrati, et de eiusdem Augusti *familia* erant, cui

---

(a) In Orat. pro Cluent.

famulabantur in Pompeiorum sacris. Quos *Augusti Ministros*, non *Augustales*, ut *Martiales*, *Venereique*, ideo nuncupatos, arbitror, ne cum *Augustalibus* confunderentur. Porro ex his, qui *servi*. etsi non *publici*, sed privatorum hominum essent, publico nihilominus fungebantur ministerio in Augusti *sacris*, quae publica peragebantur auctoritate, Decurionum nempe decreto, iussuque *IIvirum* I. D. et V. A. S. P. P. Scio, nonnullos parum magnifice de Ministrorum huiusmodi dignitate sentire. Sed mihi certum, eos ideo falli, quod de Ethnicorum sacris decernere amant e nostris. Nostra quippe sacra, immo verius unum omnium sacrum sanctissimum, verbo, factoque Pontificis unice constat: ministrorum opera illud veluti de longinquo respicit magis, quam attingit. Contra in Ethnicorum sacris, totius superstitionis refertissimis, Pontificum quidem pars praestantissima; sed ministrorum opera praecipua, facile etiam splendidior fuit.

Nec minus disertum pro Ministrorum Augusti conditione testimonium dicit marmor hoc alterum, nuper Pompeis effossum, quod

biennio consequitur recitatum antea de Aulo Veio Phylace. Consules quippe prae se fert Caium Julium Caesarem Vipsanianum, Augusti ex adoptione Filium, et L. Paullum Aemilium. Gens praeterea in eo *Obellia* cum *Perennia* obviat, quarum utramque videris apud Gruterum (a). Sed posterior *Perenna* ab hoc dicta, quam puto recudendam in *Perenniam*. M. Pomponius Marcellus cum L. Valerio Flacco hoc anno pro vice prima D. V. I. D. renuntiatus, qui deinde confirmati ambo ad an. 755. ut in §. 1. n. 1., quo tamen loco omissa penitus iterati pro utroque Duoviratus nota. Marmor itaque eiusmodi est:

(a) Pag. 948. n. 6. et p. 953. n. 11.

I.

L. CAECILIVS. FELIX
Q. LOLLIVS. FELIX
Q. ARRIVS. HIERONI
MINIST. AVGVST
EX. D. D. IVSSV
M. POMPONI. MARCELLI
VALERI. FLACCI
D. V. I. D
A. PERENNI. MERVLINI
L. OBELLI. LVCRETIANI
D. V. V. A. S. P. P
V.C.754. C. CAESARE.L.PAVLLo A. V.an.I.
COS

Multi in uno Pompeiorum Oppido Marcelli *cognomines*. Nulli *gentis* ejusdem. Risum propterea mihi olim movit vir eruditus, qui *Eprium* idcirco *Marcelli* cognomen adfectasse contendit, idque Claudio imperante, ut Claudianam se subolem vulgo iactaret, quique in ipsum inciderent, meminissent illud :

Tu Marcellus eris.

Atqui si hoc *Eprio* propositum, non *Eprium*, sed *Claudium* se praeferre, oportuerat.

§. III.

Quinam votiva Augusto sacra procuraverint, et quid revera fuerit novare sacra.

Bene habet: nam triennium adhuc, sine interruptione, τῆς χρονολογιας filo ducimur. Titulus quippe, quem mox daturi sumus, ad annum pertinet 756. Duumviri, qui iterato Pomponii cum Valerio Duumviratui successere, M. Numistrius Fronto, et Q. Cotrius. Sed nullo horum *iussu sacrum* peragitur. Unius igitur notae municipalis chronologicae vice fungi videntur in epigrammate. Nullum praeterea decretum Decurionum Nulli ad haec D. V. V. A. S. P. P. *Sacrum* idcirco, etsi Augusto factum, ut eius Ministri clamant, non *publicum*, sed *privatum* dixerim. Ministri quatuor. Primi tres *Mes-*

sius , *Arrius* , *Silenus*. Quartus , Marcorum duorum Libertus , M. *Decidius Faustus* , qui et *Unguentarius* , quod intellige de *unguentis* ad sacra pertinentibus. Unde discimus , sacrorum Ministris addendos et *Unguentarios*. Duumviros anni 755. aer. vulg. 2. vid. n. 1. §. 1. Marmor post haec referendum.

1.

MESSIVS. ARRIVS
SILENVS
M. DECIDIVS. M. M. L
FAVSTVS. VNG
MIN. AVGVSTI
M. NVMISTRIO. FRONTONE
Q. COTRIO. Q. F. D. V. I. D.
V.C.756. M. SERVILIO. L. AELIo A. V. 3.
LAMIA. COS

Privatum item existimo aliud sacrum hocce , etsi Decurionum suffultum decreto , a quibus veniam postulaverint P. Vettius Celer , et D. Alfidius , privati homines. Duo

Ministri, servi ambo, 1. *Narcissus Popidii Moschi.* 2. *Nymphodotus Caprasii Iucundi.* Nulla nec Consularis, neque Duoviralis nota, unde incertae aetatis lapidibus eiusdem generis accensendum. Illud tale est:

2.

NARCISSVS. POPIDI
MOSCHI
NYMPHODOTVS. CAPRAS
IVCVNDI
MIN. AVG. D. D. IVSSV
P. VETTI. CELERIS. D. ALFIDI

Nec turbare debent *privatorum* haec *sacra publica* Pompeis. Placendi siquidem studium sive Augusto vivo, sive Tiberio, commune sine dubio Oppido cum Oppidanis fuit.

Qui *votiva* haec sacra curabant, IIvir. V. A. S. P. P. perpetuo salutantur. Suspicio olim incesserat virum gravissimum, Duumviros eiusmodi fuisse Quinquennales, tertia nempe initiali V. accepta pro *Quinquennale.* Sed labilem omnino opinionem evincunt. 1.

defectus exemplorum, quibus foret conficiendum, *Quinquennales* per V. simplicem designatos, quos ex adverso compertum est, denuntiari interdum per *Quinq*; aut *Quinquen*; interdum per Q. Q; semel apud Oliverium (a) per QQV. 2. Munia Quinquennalium *civilia*, non *sacra*, qualia sine contentione, quae per Duumviros Pompeianos exercebantur in *re votiva*, penitusque *sacra*. 3. tempus ipsum Quinquennalitati praefixum, quae etsi iurisdictione intra unius annui census ambitum conclusa, dignitate nihilominus ad quinquennium perdurabat (b). At in sacris Pompeianis ab anno aerae vulgaris vicesimo tertio ad quartum usque supra tricesimum, decursu scilicet annorum undecim, quinae occurrunt Duumvirum nostrorum bigae, cum vix secundae locus superfuisset, si cum Quinquennalibus negotium fuerat transigendum. Atque hi sine cunctatione videntur votorum huiusmodi procuratores extitisse *ordinarii*.

(a) Marm. Pisaur. not. XXVIII. p. 84.
(b) Not. XXVII. p. 70.

*

septenario siglarum apparatu insignes. Qui *extra ordinem*, rarissimique ad munus idem acciti, hi quinario, non septenario initialium numero, notabantur, cuius rei vix triplex offendimus exemplum, alterum pro C. *Vergilio Salinatore*, et *Cn. Lucretio Decente*, privatis omnino hominibus; reliqua in parietinis scripturis pro Aedilibus *C. Mario* cum M. *Epidio*; et *A. Suellio Vero*, quae locis suis post proferentur.

Annus V. C. 757. insignis iterato M. Staii Rufi cum Cn. Melissaeo Apro, Duumviratu. At annus 756 suos protulit D. V. I. D., ut in titulo 1. huius §. Facile igitur prior Duumviratns obtigit Staio, et Melissaeo anno 753., nam qui inter hos mediant, pleni suis quisque D. V. I. D. Pro IIviris ergo anni supra memorati duplex obviat titulus Pompeianus, quorum hic prior:

3.

V C.757. CN. MELISSAEO. CN.F. APRO A. V.4.
M. STAIO. M. F. RVFO. D. V. I. D. ITER
ID. LABRVM. EX. D. D. EX. P. P. F. C
CONSTAT. HS. DCCL.

Ad τὴν περιφέρειαν Labri sane elegantissimi marmorei Calidarii Pompeiani, cuius diameter excurrit per palmos novem, cum tubo ad centrum aeneo, literis item aeneis, auro inducto, exculptis. Cumque constet, *Labrum* hoc *pecunia publica fieri curatum*, palam est, IIvirum nomina solius notae chronologicae municipalis vim obtinere, ut desinat vir magni nominis Maffeius, notas eiusmodi chronologicas sacrilegii loco habere, laesaeque romanae maiestatis exemplum minime imitabile. Titulus autem alter sic habet:

4.

V. C. 757. *Sex. Ae*LIO A. V. 4.
COS
C. SENTIO
M. STAI. RVFI
CN. MELISSAEI. APRI
D. V. I. D. ITER
NOVATVM.

Cur, qui M. Staio ante praefulserat, Cn. Melissaeus, nunc M. eumdem Staium

pone sequitur ? Non semel id factum in Pompeianis titulis, heic satis esto adnotasse; factumque tene, non tantum τῆς οἰκονομιας ἑνεκα, sed ea etiam de causa, quod cum alternis ius *dicerent*, ei prior locus relinquebatur, quem penes ius erat in rem publicam. *Sacrum* sine dubio *novatum* per M. Staium, et Cn. Melissaeum. Sed quale ? Anne illud idem, de quo ad annum 755. Alfenio, et Vinicio Cos. ? Consule §, 1. n. 1. De Gente nunc Melissaea pauca. Deinde de *sacrorum novatione* prolixior oratio. De ipso Melissaeo Apro extat titulus alius Pompeianus.

CN. MELISSAEVS
APER

De eiusdem Liberta hic :

MELISSAEA
CN. L. ASIA

De Libertae fortasse filia hic alter :

MELISSAEA. SP. F
ASIATICE. VIX
ANNIS. XVIII.

De *Melissaeae* denique *Amyces Iunone*

quam feminarum dictum *Genium*, nemo ignorat:

MELISSAEAE
AMYCES
IVNONI

Quid nunc sit *novare sacra*, accuratius expendendum: nam quae mihi hactenus de formulae huius potestate legere sortito obtigit, haec salivam cient, stomacho non faciunt satis.

Novare sacra, seu *renovare*, quibusdam videtur idem esse, ac *commovere*, immo etiam et *instituere sacra*. Mihi autem, quod dicunt hi, idem videtur esse, ac caelum mare miscere. *Novare* siquidem, sive *renovare sacra*, iterationem importat *sacri* semel *instituti*. Semel quippe *instituimus*: at rem semel institutam, pro arbitrio, aut necessitate, quoties, quandove visum, *renovamus*. Ex quo mirari subit, potuisse hoc Gutherio (a) in mentem venire, ut *novare sacra*

(a) De Vet. iur. Pont. p. 367.

sit *commovere sacra*, et quod festivius, ut *commotio sacrorum* in idem recidat cum *institutione sacrorum.* Scribit enim sic : *commovere sacra est institutio quaedam, qua certis et sollemnibus precationibus Dei consulebantur, aut placabantur.*

Institutionem ergo *sacrorum* hanc animo teneamus, qua *precationes certae, sollemnesque, tempore, libituve repetendae, primitus statuntur ad Deos consulendos, placandosve, aut utrumque simul.* At *novantur sacra*, sive *renovantur*, cum ritibus iisdem, sollemniisque semel constitutae precationes iterantur. Quid nunc, inquies, *commovere sacra*, quandoquidem *commotio* haec alia ab *institutione*, et *novatione sacrorum*?

Refer ad utramque, uti partem ad totum integrandum. Quandoquidem inter alia ad Deos conciliandos sancita, *commotioni* quoque *sacrorum* locus erat. Quae iterum *commotio* a *sacrorum gestatione* sedulo distinguenda, quae Iunonis praecipue, Cererisque festis celebratissima, unde illud : *Iunonis sacra ferre. Gestari* autem *ferrive sacra* dicebantur, cum Deorum simulacra, vel Dearum, aut ipsorum

mensulae, aliudve simile, efferebantur, ut in nostris, quas vulgo dicimus, *processionibus*. *Commotioni*, et *gestationi* sacrorum cummunis est *delatio sacrorum de loco in locum*, qua sine intelligi neutra potest. Rectissime idcirco Turnebus, Servium secutus, ponit *commotionem sacrorum in delatione quadam sacrorum de loco in locum*. Et *quadam*, ait, non *quavis*, ut intelligatur, interesse nonnihil *commotionem* inter, ac *gestationem*. Malo prorsus consilio *delationem* hanc missam fecit Gutherius, *commotionemque* cum *institutione sacrorum* confudit. De qua delatione moneri poterat ab ipso *commotionis* nomine, quae rem insinuat de loco in locum delatam. Et sane tolle de sacris *delationem* hanc in commotione sacrorum, quid facies Virgiliano huic:

. . . . *Qualis commotis excita sacris*
Thyas?

Ecquid Horatiano huic:

. . . . *Non ego te, candide Bassarev*,
Invitum quatiam?

Et ne in recula hac iactemur diutius, Ammianum Marcellinum audiamus (a): *con-*

(a) Lib. XXIX.

struximus, *ad Cortinae similitudinem Delphicae*, *mensulam*, *ac consecratam movimus tandem*. Iam *mensulae commotionem* audivimus. Quid nunc haec eadem *commotio* fuerit, eodem auctore discamus. *Movendi autem*, *quoties super rebus arcanis consulebatur*, *erat institutio talis*: *collocabatur* (mensula) *in medio domus emaculatae odoribus*. Hactenus Ammianus, a quo enucleatissime docemur, *movere* verbum esse sacrum, et tum demum *sacra* dicta *commoveri*, cum de loco, in quo ante asservabantur, alio in loco *collocabantur* Domus eiusdem, qui *medius* signate erat; neque id sine suffimentorum suave olentium munere, ubi conspicua magis, atque obvia cultoribus patebant. Adverte hic *Unguentariorum* in re sacra operam, de qua supra delibatum est nonnihil. *Gestatio* itaque *sacrorum*, quae non erat sine *commotione*, quam nos vulgo dicimus *esporre*, per vias publicas fiebat, cuius illustre extat exemplum apud Macrobium (a) ex Verrio Flacco recitatum. Praeludebat vero *novationi*

(a) Saturn. Lib. I.

sacrorum commotio, ut ex Appuleio discimus (a): fiebat enim media nocte, quae *novationi* ἀμέσως praeibat, quo tempore et Templi fores reserabantur. *Commotio* itaque sacrorum hoc differt a *gestatione*; quod illa intra templi ambitum continebatur, haec per vias publicas excurrebat. Atque ad hanc *sacrorum commotionem* spectasse, reor, *Ancilium*, *hastaeque Martialis quassationem* illam, quae per eum fiebat, cui exercitus cura cum imperio committebatur in sacrario Martis, addita precatione: *Mars, vigila*.

§. IIII.

Sacrorum Pompeianorum series interrupta per annos novemdecim. Fragmenta afferuntur temporis incerti, quae tamen ad sacra referenda.

Hiatus hic se aperit per annos novemdecim. Nec desperandum, quin temporis be-



(a) Metamorph. L. II.

neficio, novisque effossionibus sit aliquando vel ex parte implendus. Fragmenta idcirco quaedam hac una de causa heic reiicienda, censui, quibus fortasse lux aliqua deinceps, novis repertis, erit accessura.

I.

PHILAI. .

. . . . . .

. . . . . .

His fortasse *Philander*

2.

C. COI . . . . .

Q. LOLLI*us*

FELI*cio*.

3.

. . .
A. . . SA .
. iVSSV .
. .ASS. I .
CAE
. . . .

4.

. . . .
HOLC*on* . . . .
MINIS*tri* . . . .
. . TRO . . . .
. . . .

Holconius iste , qui inter *Ministros* cietur, *Holconiorum* Servus videtur , aut Libertus. *Holconii* Pompeiani plures. Alii *Celeres* , alii *Macri* , *Cellii* alii , alii *Anterotes* , (sed hi Liberti sine cunctatione); alii demum *Rufi* , qui omnium splendidissimi. De quinquiplicato M. Holconii Rufi Duumviratu commemoratum est supra , et facile ad huius tempora fragmentum referendum.

5.

. . . . .

. . . . .

EX. D. D. IVSSV

. . . . LI. A. AV. .

. . , . . .

6.

N. POPIDIVS. *Moschus*

CLARVS. CAEC*ili*

. . . .

. . . . . .

. . . . . .

7.

COMMODVS. STRON

MENOPHIL. ANCARS

FELIX. HELVI.

*Plac*IDVS. ARRI

SACR

. . . .

. . . .

. . . .

Stronia gens hactenus inaudita, nisi forte et nomen servi extiterit *Helvii.*

8.

L. CEIVS. DORIP*horus*
CN. ALLEIVS M. .
ALEXAND*er*
. . . MI. .
M*erc. Maiae*. . . . .
. . . .
. . . .

9.

N. POPIDIVS. AMPL*iatus*
L. CAECILIVS. CER. . . .
SVAVIS. OPPI. OPT*at*
*Comm*ODVS. *Stron*. T.

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Ni fallor, ecce tibi iterum *Commodus Stronii*, qui *Tibicen*, aut *Tubicen sacrorum* fuisse videtur. *Numerium* autem *Popidium Ampliatum* illum agnosce, de quo ad basim statuae marmoreae Pompeianae, Bacchum referentis hircina pelle indutum, tigri ad pedes accubante, sic

N. POPIDIVS. AMPLIATVS
PATER. P. S

Praeter *Popidios Moschos*, atque *Ampliatos*, quos libertini generis dixerim, fuere Pompeiis *Popidii* et *Rufi*, et *Celsini*, quos *ingenuos* agnosco. De N. Popidio Celsino plura in Commentario nostro VIII.

10.

TERTIVS
EPAPHRA
HABER
CITVS
ISTACIDIAE. L. F. MIN. AVG

EX. D. D
TI. . . .
. . . . . .
. . . . . .

En unius Istacidiae, L. F. *servi* quatuor, *Ministri* omnes *Augusti. Haber*, nomen servile, ecquando auditum? Nolo, te *Istacidia* illa Pompeiana fugiat, N. filia, et Sacerdos publica:

ISTACIDIA. N. F
RVFILLA. SACERDOS
PVBLICA

De chronologicis lacunis tandem emergere datum, fortasse haud omnino improspere, nec sine emolumento aliquo. Excipit nunc nos annus V. C. 776. Aaerae vulg. tertius supra vicesimum.

II.

INVENTVS. DENTAT. DAP.
FELIX. MELISSAEI. FAVSTI
NYMPHODOTVS. HELVI
SPERATVS. CAESIAEMVS
MIN. AVG. D. D. IVSSV́
M. HOLCONI CELLI. L. AELITVBER. D. V I. D
C. VERGILI. SALINÁTORIS. CN. LVCRETI
DECENTIS.VA . S. P. P
V. C. 776. C. ASINIO. C. ANTISTIO. COS. A. V. 23.

Notandus apicum usus superne signatorum ad voces *Iussu*, et *Salinatoris*. Ministrorum agmen omnium densissimum, quae hactenus incurrimus. Nam septem numero prodeunt, quos inter *Speratus*, et *Caesiaemus*, qui facile *Servi publici*, quod nullum cient dominum. At *Caesiaemi* vox prorsus hibrida. Coalita videtur e latinorum *caeso*, et graeco *αἷμα*, *sanguis*. Dividam potius in duo: *Caesi*, unde *Speratus*, *Caesi* servus, et *Aemus* forte *Servus publicus*. C. Vergilius Salinator, et Cn. Lucretius Decens, non IIviri appellantur, sed tantum V. A. S. P. P.

Privatos homines aestimato, extra ordinem *votis publice procurandis* accitos. Nam Aediles eos velle, cum de illorum Aedilitate sileat lapis, somniare est. Qui Aediles fuere, hos tales nuncupatos posthac videbis. Aediles igitur non habendi, qui tales non appellantur. Veteres, in publicis praecipue monumentis, quae perennare volebant, *proprie, atque signate locuti sunt ita, ut decuit*, ut Gellii verbis utamur (a). Pro annis 777. et 778. nihil obvium se dat. Probabile est, in horum alterutro primum obtigisse M. Melsonio IIviratum. qui *IIvir iterum* procedet ad an. 780. Nam pro anno 779. alia nobis sistitur biga Duumviralis, quam videre est in Marmore sequenti, capite licet multato, unde modico detrimento Ministrorum dumtaxat nomina desideres, cum caetera suppetant abunde :

(a) Noct. Attic. Lib. II. Cap. VI.

12.

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

Sacrum. ex. D. D
IVSSV
M. ALLEI. LVCCI. LIBEL.
M. STLABORI. FRONTON
VIIIR. I. D. QVINQ
Q. POMPEI. MACVLAE
M, FVLVINI. SILVA*ni*
V. C. 779. D. V. A. S. P. P. A. V. 26.
C. CALVISIO. CN. *Lentulo.*
COS

In fragmento 7. v. 2. offendimus CN. ALLEIVM. L. . . quem *Luccium*, vel *Libellam* e titulo hoc restituendum opinor, *Alleorum Libertum*. *Stlaborii*, cui *Frontonis* cognomen, *nomen* inauditum. Vir sine dubio Pompeiorum insignis, cui quinquiplicari Duoviratum I. D. contigit. Tertius, et quartus Duumviratus, ut coniicio, illi obvenere ad annos 777. et 778. At duo alii priores an-

tecedant omnino, necesse est, annum 776; quo D. V. I. D. processere M. Holconius Cellius, et L. Aelius Tubero. Pro Duumviralibus ergo Pompeiorum Fastis detrahe biennium de hiatu annorum novemdecim, de quo questi nuper sumus. De *M. M. Alleis*, Patre, et Filio, non abs re fuerit, hic referre titulum, quo defunctos prosequitur *Alleia*, una uxor, et mater, eademque *Cereris Sacerdos publica*:

M. ALLEIO. LVCCIO. LIBELLAE. PATRI. AEDILI
II. VIR. PRAEFECTO. QVINQ. ET. M. ALLEIO
LIBELLAE. F. DECVRIONI
VIXIT. ANNIS. XVII. LOCVS. MONVMENTI
PVBLICE. DATVS.EST. ALLEIA.M.F.DECIMILLA
PVBLICA. SACERDOS
CERERIS. FACIVNDVM. CVRAVIT
VIRO. ET. FILIO

Ubi notandum *Alleium*, Filium *Decurionem* annorum XVII., quae sane aetas minime legitima. Ergo nisi *munus* hoc privilegio

ei contigerit, de *adlecto inter Decuriones* cogitandum erit.

13.

. . . . .

: . . . .

Min. AVG

D. D. IVSSV

. . . . I. II. VIR. I. D

. . . *Silva*NI. D. V. V. A. S. P. P

V. C. 779. *M.* SANQVINIO.COS. A. V. 26.

Desunt nomina IIvirum I. D. cum nominibus D. V. V. A. S. Lipsius biennio post consignat annum consulatus primi Sanquinii Maximi. Rectius fortasse primus Sanquinii consulatus, isque suffectus, retro trahendus ad an. 779. Quod si recte factum, NI. lineae antepenultimae reddendum erit *Silvani*, qui cum Pompeio Macula II*vir* alter processit V. A. S. Quo in casu fragmentum hoc aliquantisper nuperius censendum, prae allato in n. 12. quod exhibet Consules ordinarios C. Calvi-

sium, et Cn. Lentulum. Favet opinioni huic fragmentum aliud an. 782; loco suo producendum, quo ad annum quoque proxime insequentem de Consulatu deiicitur Sanquinius, ut recte a Norisio fuerat contra Fastographos communes constitutum (a). Consule infra n. 16.

14.

M SITTIVS. M. L
SERAPA
MERC. MAIAE
SACRVM. EX. D. D
IVSSV
P. ROGI. P. F. VARI
M. MELSONI. M. F. ITER
D. V. I. D
N. PACCI. N. F. C*hi*LONIS
D. V. V. A. S. P. P.
V. C. 780 M. CRASSO. CS. LENTVLO A. V. 27
COS

(a) Ep. Consul. p. 402.

In sigillo aeneo Pompeiano est : M. PACI. quem ne dubites *Pacciae*, gentis Pompeianae, subolem fuisse. Pro Fastorum Consularium emolumento longe utilius, quod sequitur. M. Licinio Crasso Collega in Fastis assignatur L. Calpurnius Piso ad an. 780. Ergo hoc eodem anno Pisoni *suffectus* Cn. Cornelius Lentulus Getulicus, qui anno priore Consul ordinarius processerat cum C. Calvisio Sabino. Atqui de Consulatu hoc altero *suffecto* Cn. Lentuli apud Fastographos nec vola, nec vestigium.

Sacrum Mercurio, et *Maiae* factum, idque non pro hac vice tantum Pompeis, ubi templum iis dicatum fuisse, nihil est, quod dubites. Quin eius demum vestigia detecta Pompeis nuper fuisse, accepimus. *Mercurii via*, quam vocant, omnium nobilissima Pompeis. Atque ecce tibi marmor aliud item Pompeianum anni eiusdem tam huic simile, ut non ovum ovo similius. Nec in uno hoc exemplo palum figemus. Occurrent et alia deinceps. Ex quo illud commodi quantivis pretii : ut si quid uni desit, suppleri ex alio tuto, facillimeque possit. Sed unde

id factum, quave de causa, ut tituli iidem fuerint olim geminati in re sacra Pompeiorum, id vero non parum facessit negotii. Vero propiora, si non certa, daturos confidimus. Lapis eiusmodi est:

15.

M. SITTIVS. M. L
PAPIA
*m*ERC. MAIAE
SACRVM. EX. D. D
IVSSV
M. MELSONI. A. F. ITER
P. ROGI. P. F. VARI
D. V. I. D
M. NINNI. M. F. POLLION
N. PACCI. N. F. CHILONIS
D. V. V. A. S. P. P.
V.C. 780. *M. Cras*SO CN LENTVLO A. V. 29.
COS

Etsi titulus hic in eumdem annum incidit cum eo, qui ante productus est, fere tamen certus sum, tempore paullisper hunc illi praeire.

Id ex eo coniicio, quod Melsonius II. V. iterum primum locum tenet. Cum enim dignitate P. Rogio antecellat ob alterum Duumviratum, aequum erat, primum rei publicae munera capessere. P. Rogius ex adverso praeit Melsonio in marmore antecedente, quod idem factum in IIviris votorum procuratoribus τῆς unius οἰκονομιας ενεκα, ut alibi observatum. Quid nunc modico inter se discrimine in eodem *sacro* Mercurio, Maiaeque marmor, et hoc publicum, duplicatum? nam si unum M. Sittium Papiam excipias, qui in priore est M. Sittius Serapa, uterque Sittiorum Libertus, caetera eodem tenore decurrunt.

Filum ex nota consulari ducendum, puto. Quae cum eumdem annum designet, profecto de *Votis*, quae *stata*, atque *ordinaria* appellantur, minime cogitandum. Haec enim certo ordine *nuncupata*, sive *suscepta* anno priore, *solvenda* erant anno insequente, adeoque diversis et Consulibus, et D. V. tum *iure dicundo*, tum V. A. S. procurandis. Si ad *imperativa*, quae dicuntur, *indictivaque* extra ordinem te recipias, nodus

omnis non secabitur, sed penitus solvetur. Verum, inquies, ecquid ad haec tabula duplex? Primam tene pro *nuncupatione*, alteram pro *solutione* votorum ante susceptorum. Est et fragmentum aliud, forte ad idem tempus referendum, nî coniectura fallit a *Sittiis* deducta. Quamobrem, si placet, sic restituas:

16.

. . . .

. . . .

. . IO. SITTI. M. S

. . . S. SORN. T. S

. A. VOLVSI. T. S

*Minis*TRI. MERC. MAI*ae*

SACR. IVSSV

M. Melsoni. M. F. iter

P. Rogi. P. F. Vari

D. V. J. D.

M. Ninni. M. F. Pollionis

N. Pacci. N. F. Chilonis

D. V. V. A. S. P. P

V. C. 780. *M. Crasso. Cn. Lentulo* A. V. 27.

Cos

Sed hae coniecturae merae. Siglae M. S. et T. S., ne insalutatas dimittamus, monent. Primas ergo, nempe M. S. habe pro *Molario*, aut *Monaulo sacrorum*. T. S. cum bis occurrant, aut utrobique accipe pro *Tibicine sacrorum*, aut semel pro *Tibicine*, semel pro *Tubicine sacrorum*. Forte in alterutra *Turarius*, in quam rem Ovid. (a):

Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas.

Pro Tibicine ὁλογραμματας apud Reinesium (b), et Fabrettium (c). Nec porro iniucundum heic a Fabrettio in loc. cit. afferre epigramma productum, iisdemque notis insigne.

(a) Trist. V 12.
(b) Pag. 363.
(c) Pag. 607. n. 59.

MINERVAE. DO
FVLLONES
MAGISTRI. QVINQVEN
CVRAVERE
L. EVVLI. C. L. STATIVS
P. OPPI. L. L. PILONICVS
L. MAGNI. L. L. ALAVCVS
PAMPILVS. TVRPILI. T. S

Quid hic *Pampilus*, Servus Turpilii, cum Magistris Fullonum Quinquennalibus? *Tibicinis* equidem ministerio functus in *dono*, quod hi artium Deae, Minervae, curavere. Pompeianam post haec repetamus provinciam.

17.

. . . . .
. . . . .
. . . . .
. . . . .
. . . .
D. *V*. V. A. S. P. P.

V. C. 782. A. PLAVTIO. A*spren*. C*os* A. V. 29.

Litera quippe A superstes post vocem *Plautio* clamat pro *Asprenate Nonio*, quem Plautio dat Collegam hoc anno Norisius (a). Delenda igitur, ut vulgo in Fastis, nomina Consulum Suffectorum, Q. Pomponii Secundi, et M. Sanquinii Maximi, horumque loco substituendi A. Plautius, et L. Nonius Asprenas.

18.

PHILIPPVS. MELISSAEI
FAVSTI
IANVARIVS. PIRICATI
QVARTIONIS
IVCVNDVS. HOLCONI
ANTEROTIS
AVCTVS. HELVI
NYMPHODOTI
MINISTRI. AVG
IVSSV
M. LVCRETI. MANLIANI. L. ALBIENI

(a) Ep. Consul. p. 402

STAI. D. V. I. D.
L. EVMACHI. FVSCI. N. HERENNI. VE-
RI. D. V
V. A. S. P. P
CN. DOMITIO. CAMILLO. ARRVNO
V. C. 785. A. V. 32.
COS

In fronte cippi marmorei sane elegantissimi, quem fere non dubitamus, basis loco fuisse olim statuae cuidam Tiberio a Pompeianis positae, de qua infra. Hic primum videre licuit siglas illas Pompeiorum proprias, quae tantas in nos excitavere procellas, quibus sine numinis auxilio praesentissimo obruti sine dubio tandem fuissemus. Singula nunc perstringamus. N. Herennius Verus, unus e Duoviris V. A. *S.* procurandis. Hujus filium arbitror Herennium illum Verum, qui Aedilitia Pompeis pollebat dignitate an. V. C. 786. ut ex alio parietino Pompeiano epigrammate mox proferendo.

IIviri an. 787. aer. vulg. 34. fuere M. Vesonius Marcellus, et Epidius Flaccus, Praef. Caesaris.

SVELLIVM. CVM. EPIDIO

IIVIR. I. D. O. V. F. DIG. SVNT

V. C. 788. HERENNIVM. FI VERVM A. V. 35.

AED

Nam primus hic tangitur Epidii Duumviratus, cui et quintus contigit ad annum 791., ut loco suo narrabitur. Anno vero 787. Epidius non IIvir, sed Praefectus dicitur I. D., quae dignitas pro Duoviratu altero ei cessit. Ergo primum Epidii Duumviratum, nisi ad annos 782. vel 783. vel 784. referre velis. de quibus nihil certum pro Pompeianis IIviris hactenus habetur, ad annum 786. reiicere, aequum est. Pompeis siquidem fere usitatum, sine interruptione iterare Magistratus. Sed longe probabilius, Epidium processisse primo Praef. I. D: deinde anno insequente IIvirum I. D. Praefectum autem egit an. 787. Primus itaque illi Duoviratus assignandus videtur ad an. 788. Post haec ad se vocat biga Consularis longe gravioris momenti.

Lipsium quondam notaveram, quasi qui *Camilli* cognomine deceptus, *Furiis* accensuerit *Arruntium* et dixerit *Furium*. Prorsus iniuria. Absolvendus Lipsius : nam Tacito non semel Camillus hic est *Furius*. Quid igitur? ipsi nos, imprudentiamque nostram damnamus. Et *Arruntio Camilli* cognomen adscitum a *Furiis*, et non quatuor, sed quinque illi nomina tribuenda : *M. Furius. Arruntius. Camillus. Scribonianus.* Primo itaque *Aruns* quipiam a *Furiis* adoptatus, unde *Furius Arruntius*. Deinde *Scribonius* ab *Arruntio* adoptatus, unde appellatus *M. Furius. Arruntius. Camillus. Scribonianus.*

Ex Arruntiis celebratissimus Tiberiana tempestate L. Arruntius, vir sapientissimus, qui in Albucillae causa *impietatis in Principem* accusatus, ultro sibi venas abscidit. Si Cassiodorio fides, *Cn. Domitio, et Arruntio Cos. Dominus noster Jesus Christus passus est* VIII. *Kal. Apriles, et defectio Solis facta est, qualis ante, vel postmodum numquam fuit.* At Cassiodorio acriter occurrit Henricus a S. Clemente, factumque retro trahit ad triennium sub *Geminorum* consulatu. Pagius

Camillum facit *Ordinarium*: Fasti communes Suffectum ex Kal. Juliis.

Domitiorum nubes consularis longe densior, omniumque nobilissima. Qui *Cnei* tantum praenomine notantur ab V. C. 421. ad usque 732., novem in Fastis conspicui sunt, quorum hic noster agmen claudit. Qui de *Ahenobarborum* gente satus, Agrippinam duxit uxorem, Germanici filiam, quae post Claudio nupsit. Domitium idcirco Tacitus (a) inter Tiberii progeneros primo loco recenset. Consularis, sexennio fere post, Macronis insidiis delatus ad Tiberium cum Albucilla, dum haec irrito ictu mortem sibi intentat, ille defensionem meditans, an simulans, vitam produxit, Tiberii morte mox subsecuta.

Ad cippum quod attinet cum statua, titulo addito, minime poenitet, coniecisse olim, haec Tiberio a Pompeianis posita, detecta, oppressaque iam Seiani coniuratione. Cui coniecturae favent mirifice temporum in-



(a) Annal. Lib. VI.

itae rationes. Seiani quippe casum refert Baronius ad an. aerae nostrae tricesimum primum, eumdemque Tiberii principatus septimum ultra decimum. Hoc anno de Consulatu decesserat cum Tiberio Seianus ad diem X. Maii. hisque suffecti 1. *Faustus Cornelius Sulla* cum *Sextidio Catullino* 2. *Fal. cinius Trio*, et *Memmius Regulus*, qui reliquum anni fere implerunt. Consules nunc cippi Pompeiani opportune prodeunt anno Tiberii decimo octavo, adeoque paucis post mensibus abeunt a nece Seiani. Facile igitur sub his Consulibus Pompeiani, quorum nec segnia in Tiberii assentationem erant studia, et religio in Augustum intentissima, cui favebat impense Tiberius, in tantae rei celebritatem haec omnia ei constituerunt, quo aut gratiam ab ipso inirent maiorem, vel invidiam certe a se depellerent. Praeter observata hactenus ad marmor recitatum, et hoc insuper lucri ex eodem accedit, ut illius ope fragmento huic alteri Pompeiano eiusdem anni suppetias opportune feramus.

19.

. . . ARRIVS
*Her*ENNIVS
. *Alexa*NDER
. . . VITALIS
*Num*ISIVS. FELIC*io*. *Minist.* *Aug.*
L. Staio. M. LVCRETIO. *Manlian.* D. V. I. D
V. C. 785. IVSSV A. V. 32.
*N. Herenn*I. VERI. L. EVMACH*i*. *Fusci*
D. V. V. A. S. P. P

---

§. V.

Reliqua ab anno 787. ad usque 791. Siglarum fatum extremum.

Ad integrum biennium *Sacra Pompeiana* nos deserunt. Nec exemplorum generis huius ferax an. 787. , De naufragio vix duo enatant. Duumviralibus tamen Fastis ab hoc anno ad 791. parum detrimenti. Continuantur enim

Epidii Flacci quinquiplicato Duumviratu, ut supra memoratum est.

I.

PHRONIMVS. MESSI. FAVS†
PLACIDVS. VET. FRONTONIS
A. ARELLIVS. GRAECVS
MIN. AVG. EX. D. D. IVSSV
. . . . . M. VESONI. MARCELLI . . .
II. VIR. I. D
M. LVCRETI. EPIDI. FLACCI
PRAEFECTI
L. ALBVCI. D. LVCRETI. II. VIR. V. A. S. P. P
V.C 787. PAVLLO. FABIO. L. VITELLIO A. V. 34.
COS

De industria abrasa in marmore nomina prioris D. V. I. D., quem Tiberiano fulmine aliquo attactum suspicor, deque Duovirali dignitate deturbatum. Anne hic Seiani amicitia Tiberio suspectus? verum ecquid non Tiberio suspectum? Certe Duumviro huic subrogati M. Lucretius, et Epidius Flaccus, sed *Praefecti*, non D. V. nomine condecoratus. Hos eosdem in marmore sequenti vi-

deas sub iisdem Consulibus appellatos *Praefectos Caesaris*. Ex quo coniecturam sumo, de *sacris indictivis*, non *annuis*, in utroque agi. Quibus positis, sic fragmentum restituo:

2.

Phronimus. Messi. Fausti
Placidus. Vetii. Frontonis
M. Arellius Graecus
Min. Aug. Ex. D. D. Jussu
M. Vesonii. Marcelli. D. V. J. D
M. LVCRE*ti. Epidi. Flacci. Praef.*
C. CAESARIS
L.ALBVCI.CELSI.D.LVCRETI. VALENTIS
IIVIR. V. A. S. P. P
V.C.787. PAVLLO. L. VITELLIO. COS A. V. 34.

Loco alterius Duumviri, continuata Pompeis *Praefectura* ad annum usque 791. ut aperte colligi datur ex titulo mox producendo. Quamobrem recte supra insinuatum, fastos Pompeiorum IIvirales ab anno 787. ad 791. continuatos per unum D. V. I. D. Epidium Flaccum. Fragmentum tibi obiicio :

3.

. . . ADEPTVS
*Numi*SIVS. FELICIO
M. EPIDIO. FLACCO. D. V. I. D.
V.C.791. A.V.38.
QVINQ. M. HOLCONIO. MACRO
PRAEF. I. D. L. LICINIO. C. ADIO
VIR. V. A. S. P. PROC

Ex dictione postrema *Proc.* primum colligere certo datum, singulariam P. ultimo loco positam, ad *procuratoriam* familiam esse referendam. Tò QUINQ. pro *Quinquiens* accipio, ut de M. Holconio Rufo, nec est, ut de *Quinquennali* cogites. Nec numerus iste quinarius de Praefectura M. Epidii Flacci videtur intelligendus, quem conceptis verbis ante D. V. I. D. salutatum vidimus ad an. 788. Idcirco ad vocem *Flacco* tertiae lineae subintellige: D. V. I. D. Cum enim talis extiterit an. 788., rectius dixeris, servatum talem Pompeiorum confirmatione, aut Caesaris arbitrio, quam *Praefectis* additum I. D.

Hic finis Priami fatorum.

Nempe citra annum aerae nostrae tricesimum octavum, Pompeianae nostrae siglae D. V. V. A. S. P. P. nullae obviabunt amplius, Tiberii huc usque tutae patrocinio. At Tiberius, inquies, iam obierat ad diem XVI. Martii anni aerae nostrae septimi supra tricesimum. Ut quid ergo recurrunt ad annum tricesimum octavum? At nondum, aio, innotuerat intervallo tam modico Caligulae levissimum iuxta, ac deterrimum ingenium. Quin ipso principatus initio spem fecerat cunctis, ut cum optimis Principibus contenderetur. Quae igitur Pompeiana monumenta erimus deinceps prolaturi siglis iisdem insignita, etsi incertae aetatis, intra Augustaea nihilominus, Tiberianaque tempora, vel fere, concludi, pro certo habeas. C. ADIO. Fortasse hoc monemur, ut Taciti (a) *Cadium Rufum* distrahamus in C. *Adium Rufum.*

(a) Annal. Lib. XII.

4

P. PAQVIVM. PROCVLVM. $\overline{\text{II}}$. VIR. VIR. B

A: VETIVM. *Firm*VM. FELICEM. $\overline{\text{II}}$. VIR. VIR. B. D. R. P. OVF. DIGNI. SVNT

C. MARIVM. . . . M. EPIDIVM. AEDILES. V. A. S. P. P. OVF. DIGNI. SVNT

S . . . . . VSIT. . OSSIVS. DE. ALBATORE. ONESIMO

itulus parietinus recens detectus. Lege sic :

P. Paquium. Proculum. $\overline{II}$. vir. virum. bonum

A. Vetium. Firmum. Felicem. $\overline{II}$vir. vir. bon. Dign. Reip. Orant. ut. faveat. D. S.

C. Marium. . . M. Epidium. Aediles. V. A. S. P. P. OR. VT. FAV. digni sunt

Scribi. iusit. Cossius. Dealbatore. Onesimo.

Ecce tibi *M. Epidius*, de quo paullo ante. At hic Aedilis, qui IIvir primo I. D. processit anno 788. Ergo ante annum hunc profecto Aedilitate functus est Epidius. Initiales ergo nostrae adhuc Tiberiana intra tempora continentur. Probabile mihi fit, Aedilitatem contigisse M. Epidio cum. C. Mario an. 786., et ad hunc eundem annum ex consequenti referendos esse IIviros I. D. P. Paquium Proculum, et A. Vettium Firmum Felicem. Quod si placeat, IIviralem hiatum anni huius impleveris. At superest quoque hiatus an. 783. et 784., quorum alterutrum, si mavis, biga hac Duumvirali expleto. De hoc Paquii cum A. Vetio, quem et *Vettium* quoque audias, IIviratu sic parietinum aliud epigramma:

P. PAQVIVM. ET. AVETTIVM. D. V. I.D.O.V. F

Et aliud item de uno *Paquio*:

PAQVIVM. D. V. I. D

VENERI. ROG. WF

qui nexus mihi esse videtur, *ut votis faveat*.

Jusit pro *iussit* *αρχαϊκως* dictum. Mutilum. . OSSIVS reddi poterat *Blossius*, *Tossius* , *Fossius* , aliudve tale. Sed gens *Cossia* notior Pompeis , ut e Pompeianis sigillis accepimus.

De *A. Vettio Firmo Aedili* sic loquitur parietinus titulus :

VETTIVM. FIRMVM

ÆD. O. V. F. D. R. P

Qui titulus tempore praeeat, necesse est, iis , qui A. Vettium praedicant D. V. I. D. Et quando de nuperis Pompeiorum effossionibus incidit sermo , non ingratum lectori fuerit , haec auctarii loco habere :

ROMANVM. AED

RVFVM

Sed cave , Pompeiorum Aedilem cogites. Romanum sine dubio Aedilem Rufum, qui aliqua de causa Pompeios diverterat, Pompeiani ita salutant. An hic *C.* ille *Adius Ru-*

fus, de quo Tacitus (a) : *Damnatus et lege repetundarum C. Adius Rufus, accusantibus Bithynis*? sed non vacat velificari coniecturis, nam et Claudio imperante, claruit etiam *Rufus Crispinus*, *Praef. Coh.* De eodem iterum :

RVFVM

DIGN. REIP

At Aedilis sine dubitatione Pompeianus, quem cient hi duo alii tituli :

M. CERRINIVM. VATIAM

AED. DIGNVM. REIP. TYRRANVS. CVPIENS

FECIT. CVM. SODALES

A soloecismis itaque numquam abhorruit popellus. *Tyrranus* mihi est *Turranius*.

M. CERRINIVM. VATIAM. AED

O. V. FAV

FABIVS. EVPOR. ROG

(a) Annal. Lib. XII.

Per diverticula satis. Modo in viam.

5.

Q. TVLLIVS. Q. F
M. CINNIVS. M. F
D. V. I D
C. MAMMIVS. L. F. C. NAEVIVS. M. F
D. V. V. A. S. P. P
CONSTAT. HS. DCLXXS

5.

M. CINNIVS
Q. TVLLIVS
D. V. I. D
C. NAEVIVS. M. F. C. MAM*mius*. L. F
D. V. V. A. S. P. P. EX. D. D
*Con*STAT. HS. DCL

Germani hi tituli duo inscripti in duplici tabella marmorea , utraque aequali , quarum neutra excedit palmum quadratum. Discrimen unum in Decreto Decurionum , quo se tuetur posterior haec , caret illa prior. De

opere publico agitur in utraque, quorum hoc constitit HS. 650., illud HS. 670. cum semisse. Sed qualia haec opera publica, quis nunc harioletur? Quo tempore Pompeis D. V. I. D. cum M. Cinnio processerit Q. Tullius, etiam incertum. Lucis nonnihil ex altero IIviro, votorum procuratore, C. Mammio, L. Filio. Nam de Lucio Mammio, cui *Maximo* cognomentum, haec extant Pompeiana elogia.

DIVAE. AVGVSTAE

L. MAMMIVS. MAXIMVS. P. S

Itemqne hoc aliud plenius.

GERMANICO. CAESARI. TI. F. DIVI. AVGVSTI. N

DIVI. IVLI. PRO. NEPOTI. AVGVRI. FLAMINI

AVGVSTALI. COS. II. IMP. II.

L. MAMMIVS. MAXIMVS. P. S

At Germanici consulatus alter ad an. V. C. 771. aerae nostrae 18. refertur. C. ita-

que Mammius, Lucii huius filius, post annum 771. ornatus videtur Duumviratu V. A. S. P. P. Atqui ab anno 771. ad mortem usque Tiberii novemdecim anni decurrunt, quod intervallum satis pro aetate C. Mammii, ut Aedilitati capessendae par haberetur. Siglae igitur Pompeianae hactenus Tiberii tempora minime excessisse videntur. De Procuratore altero votorum, C. Naevio, paucula haec. Hic videtur M. illius Naevii filius fuisse, quem inter *Ministros Fortunae Augusti* recenset fragmentum aliud hoc.

6.

M. NAEVI
. . . NAEVI
. . . NISTR. F*ortun* Aug.
. . D. D
. . . .
. . . .

Aedilem nunc alterum excipe ex parietino epigrammate, quinario siglarum numero conspicuum.

7.

A. SVELLIVM. VERVM. AED.
V. A. S. P. P. D. R. PROBVM, OVF.

Eccur quinario, non septenario hic incedit initialium numero insignis? eccur priores duae, ut in parietino alio titulo superius allato, omissae? casu id dices factum? apage! nam et iteratum habes exemplum, quod de industria, non fortuito, factum evincit. Quamnam discriminis huius causam afferas? nisi Procuratores hosce votorum, numero tam paucos, *extra ordinem* ad id muneris accitos velis, quo te praeterea vertas, non video. Illud certe extra dubitationem omnem certissimum, *Ordinarios* votorum huiusmodi *Procuratores* habendos, qui septenario siglarum apparatu se dant conspicuos. Hinc, nisi oppido fallor, lux affulget, qua nubecula dispellitur n. 3. §. V. Pro *Vot. Aug. s.* duo ibi cientur. L. nempe *Licinius*, et *C. Adius*, sed VIR. dicti, non *IIviri*. At si ambo *ordinarii*, cur non *IIviri*? si *extra ordinem* ambo, cur, ut in caeteris, non dicti V. A.

S. P. P.? Ut insinuaretur, puto, priorem L. *Licinium* iure ordinario, posteriorem penitus *extra ordinem* vota Augusti procurasse. Profecto neque *IIviros*; nequel *IIvir.* neque *IIIIviros*, sint licet ordinis cuiuscumque, nuncupatos inveneris, nisi quibus iure ordinario munus, quo fungebantur, esset impositum: qui *extra ordinem* ius dicebant, hi non D. V., sed *Praef.* I. *D.* dicebantur.

Nec pigeat demum observare, si vera aut veri multo similia sint, quae de initialium pompeianarum potestate disputata hactenus sunt, viam fortasse patere ad initiales illas explicandas, quae in Marmore quodam Nolano tantum olim, nec sine causa, negotii facessiere Bimardio. Marmor sic se habet.

C. IVNIVS. M. F
IIIVIR. A. V. D. I. IIVIR. NOLAE.
IIIVIR. QUINQVENNAL
AR. DE. SVO. FACIVND

Lineam secundam redde sic: IIIVIR. A. VOTIS. DEAE. ISIDIS. cui aram de suo faciendam curavit.

Ad. an. V. C. 798. Aer. vulg. 45. Duumviri I. D. occurrent Q. Postumius Modestus, et C. Vibius Secundus. Et pro anno demum 814. aer. vulg. 61. L. Julius Ponticus, et P. Gavius Pastor.

§. VI.

Nova initialium nostrarum abs erudito viro proposita interpretatio expenditur.

Vix manum, ut aiunt, de tabula, cum ecce vir longe eruditus, eiurata, quam ante in his professus fuerat, docta, nescio quam, ignorantia, tandem ex augurato rem omnem expediendam capessit. Optume factum. Sed nostram ecquid in eodem negotio operam collocatam, dum nostris ille proficit, tam fastidiose arguit?

Meminisse eum oportuerat, cum siglas nostras primitus audisset, ab se ad spuria statim amandatas; legitimas deinde agnoscere coactum, nihil de iisdem hiscere ausum fuisse. Quaenam ea temeritatis, immo et τῆς μανιας

nota, qua nos tam benigne muneratur? Et fuerit haec quidem sive temeritas, sive ἡ μάνια, quandoquidem suos quisque patimur manes. Sed in fundo tamen, in quem etsi iuris publici, ipsi et primi et uni viam, vel semitam aperueramus, sine ullius noxa, iniuriave, sine ambitu, aut spe ineundi gratiam ab iis, quibus utile est placuisse. Adeone porro absurda, levique brachio acta, quae de his attulimus, coniecturas demum, oracula numquam, fundentes? atqui decimus his pensitandis iam teritur annus. Quotam ille, utiliorum consulens, in iisdem temporis sui partem insumpsit? verum haec vera quamvis, aliena tamen, fortean puerilia? Nunc, quod instat, agamus.

Ad Aediles itaque Pompeianos, putat vir doctus, siglas nostras iure, uniceque respexisse, qui *annonam*, *aedes*, *ludos* curabant, ut ex Everhardo Othone discere nos monet. Quasi ab hoc ante alios id edocendi fuissemus! Illud magis curandum videbatur, an Everhardi monita quidquam commune cum eo, de quo agitur, habuerint. Ne longum faciamus, sic ille initiales pompeianas interpretatur:

D. V. V. A. S. P. P.

Duum. Viri. Urbi. Annonae. Sollemnibus. Publ. Procur.

Feliciter. Sunt pauca tamen, de quibus doceat nos ante, necesse est. Post illi *laetum Paeana canamus*, non *Martis*, a quo abhorruimus semper, sed *Apollinis*, quem et coluimus, et colere deinceps est animus.

1. Ecquid illud *IIviri Vrbi*? *Urbemne* dictam Pompeios, idque in lapidum acervo de *publicorum* censu? atqui *Urbis* nomen *Romae* proprium cum additamento et *sacrae*, et *aeternae*. Et non deerit forte, qui per dolum malum *Urbis* hanc *procurationem* similem capiat *incesti procurationibus* illis, de quibus Tacitus (a).

2. Si quarta solitaria A *annona* est, ideoque Aedilium propria, nullane Pompeis *annonae cura* ultra *Augusti*, citraque *Tiberii* tempora? vel nulli Pompeis Aediles, hac utraque tempestate excepta? nam intra tem-

---

(a) Annal. Lib. XII.

porum huiusmodi ambitum siglas nostras contineri, marmora universa, parietinaeque inscriptiones omnes clamant. Qua nos ratione permoti praecipue *Augustum* sub initiali illa latitare, coniecimus.

3. Quid τὸ *sollemnibus* cum quinta initiali S? Est et *insanire sollemnia*. Nam et *Ludi sollemnes*, et *sollemnes Epulae*, et *Nuptiae sollemnes*, et *sollemnia Funera*, et *sollemnia* nunquam incurres, nisi ante insinuata re, cuius sunt *sollemnia*. Sic Tacitus (a): *cuncta nuptiarum sollemnia celebrata*. Sic Virgilius (b):

Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent

Praemitti igitur oportebat initialem L., si ad *Ludos* referenda τὰ *sollemina* debuissent.

4. Esto tacitum etiam *Ludorum* nomen, et ad hos trahantur τὰ *sollemnia*. Quinam autem *Ludi*, qui ab Aedilibus curabantur? *civiles* profecto; nam et Aedilitas magistratus erat *civilis*, non *sacer*. Aedilibus idcirco *ius*

(a) Lib. XI.
(b) Aeneid. VI.

erat, *Ludis civilibus* praeesse. Nam *sacrorum*, quales *Ludi saeculares*, curam agebant XV*viri sacris faciundis*. Quid nunc Aedilibus Pompeianis cum *sacris* stricti iuris, ac nominis, qualia omnia et singula, de quibus agitur in titulis nostris? quae nimirum per *Ministros*, sive *Augusti*, sive *Fortunae Augustae*, peragebantur in *Aede Mercurii*, et *Maiae*, vel *Fortunae Augustae*. Anne in Templis celebrati usquam Ludi, sive *sacri*, sive *civiles*? Ad haec: Ludine hi quicunque una Augusti, Tiberiique aetate Pompeis celebrati? Et ne ludis ludificetur ultra noster, noverit, Pompeis pro Ludis non *IIviros*, sed *VII. viros* fuisse constitutos.

M. OCVLATIVS. M. F. VERVS. VII VIR. PRO LVDIS

Quibus mature perpensis, initialem S. numero quintam, ad tertiam singulariam V. retulimus, ut inde haberentur *Vota suscepta*. Possunt enim esse *vota*, etsi non *soluta*. Sed nisi *suscepta*, vel *nuncupata*. ne concipi quidem animo possunt. Quin hoc in casu minime displiceret V. A. S. reddere: *votivis Au-*

gusto sacris. Nihil igitur Aedilibus, qua tales, cum *Sacris Pompeiorum.*

5. At Aediles, inquies, semel, atque iterum quinario initialium apparatu insignes prodeunt.

Resp. Cur, ego reponam, non septenario? Ut intelligeretur, aio, non *Aedilitati* id munus *ex officio* attributum, sed omnino *extra* ordinem. Sic, qui *iure ordinario ius dicebant*, hi D. V. I. D. audiebant: qui secus, *Praef. iuri dicundo.* Nisi dicere velis, quod minime absurdum, Aediles hos quo tempore Aedilicia praepollebant dignitate, *iure* quoque *ordinario*, non *aedilicio* tamen, *procurationi sacrorum* praefuisse. Sic Holconius, de quo supra, D. V. I. D., idemque Augusti, et *Sacerdotio*, et *Flaminio* insignis. Alioqui, cur, quando in Aediles Pompeianos offendimus, hi siglis nostris haud perpetuo ornati occurrunt? Non igitur erant hi *iure aedilicio* D. V. V. A S. P. P.

Haec secum reputet vir doctus, quibus refellendis si viam invenerit, gratulabimur. Sed inveniat, an secus, pudor certe illi erit, illacessitum nos iterum in hoc lacesisse. No-

mini ille nostro pepercit. Benigne: etsi sine gratia. Et suo nos ipsius parcimus, ne minores videamur. Utinam cum gratia aliqua!

Sed nostra cum suis hac in causa contendere iterum, neutiquam formidamus. Sic igitur ille:

D. V. V. A. S. P. P.

Duumviri. Urbi. Annonae. Sollemnibus. publ. proc.

Nos ex adverso:

Duumviri. votis. Aug. susceptis. Pomp. Proc.

De penultima P. parum solliciti sumus, utrum *publice*, an *Pompeian.* interpreteris. In idem quippe redit utrumque. *Pompeian.* potius optabamus, quod initiales nostrae, sine exemplo simili, Pompeiorum ἰδιατικαι sunt. Paucis, quae ad Procuratores hosce pertinuisse olim videntur, complectamur.

1. Hi duo, ut numero olim Romae vetustissimi *IIviri Sacr. faciund.*

2. *Sacerdotes* sine dubio, quorum tamen Sacerdotium annuum, non perpetuum.

3. *Ministris* idcirco longe dignitate an-

teibant, et conditione *ingenui*, numquam *Liberti*, *Servi* multo minus.

4. *Qui iure ordinario* votis procurandis procederent, dicti semper D. V. V. A. S. P.P.

5. Si eorum alter extra ordinem, notabantur sic: *Vir*. V. A. S. P. P. senario nempe, non quinario, multo minus septenariot initialium numero insignes.

6. Si ambo *extra ordinem*, quinario tantum initialium numero ornabantur: V. A. S. P. P.

Qui paullo supra dictus a Mariano de Laurentiis (a), quem fueram sequutus, VII*vir*. *pro Ludis*, *Oculatius*, post apud alios legi II. *Virum*. Marmor ipsum, si modo superest, consulere haud licuit, etsi nulla hactenus praetermissa diligentia. *Duumvirum* tamen praesentio magis aut saltem praeopto. Verum nihil inde causae nostrae praeiudicii. Quandoquidem *Oculatius* II*vir pro Ludis*, non *Aedilis* salutatur, ex quo colligitur, ludorum munus ea tempestate ab *Aedilibus* ad *IIviros* Pompeis translatum. Nihil igitur *Aedilibus* Pompeianis commune cum *Ludis*. Ast ubinam praeterea, vel ecquando, in titulo-

rum formulis recensita munera sive Magistratuum, sive Officiorum communia, quae subintelligebantur scilicet, uno audito seu Magistratus, seu Officii nomine? Sic et *Dictatores*, et *Magistri Equitum*, et *Consules*, et *Praetores*, et *Aediles*, et *Quaestores*, et *Legati*, et qui demum non? nuncupati sine additamento alio. Nec quidpiam usquam invenies additum nominibus hisce, nisi quando de communi acceptione transferri ea oporteret ad aliquid peculiare designandum. Hinc quod *Quaestores* a communi aliquando recedebant acceptione, dicti *alimentorum*, et *Quinquennales* dicti *Collegii*, et ne singula persequar, *Aediles* ipsi dicti *iuri dicundo*. Veterum quippe inscriptionum stilus minime cum historico confundendus, quali sine dubio Tullius usus in III. de Legg. 3., quo noster tantopere, uniceque nititur. Locus sic habet: *Suntoque Aediles Curatores Vrbis, Annonae, Ludorumque sollemnium*. Sed Tullius hic historico stilo, minime de tituli formula cogitans, legis latorem agit, cuius est, munera cuique sua enucleate praecipere. At laborabat noster videlicet pro quinta initiali S,

quam sibi videre videbatur *ἐν τοῖς sollemnibus*, ludorum inter haec oblitus, quibus in re nostra arduum est illudere. Paucis: titulum vel unum unde unde corrasum afferat cum formula hac *aedilicia*, aut simili, eritque *mihi magnus Apollo*. Quamquam ne sic quidem causam sibi adiudicatam praesumat pro re praesenti, de qua una agitur.

Schol. I. Ad p. 86. v. 16. *M. Oculatius Verus*, non VII. *Vir*, sed II*vir pro Ludis* legendus. Sunt, qui putent, *Oculatium* hunc *pro ludis*, quos pollicitus erat, dedisse *theatri pavimentum*, quibus non assentior. Nam in rerum promisarum commutatione et rei ante promissae, et rei, quae eidem substituitur, mentio fieri solet, ut in tit. I. pag. 15. Com. VII. videre est. Atqui in titulo nostro nulla *pavimenti* commemoratio. Rectius igitur *το pro ludis* est *a ludis*, διαριστικον puta Duoviratus Oculatii. Cum enim II*viri* non unius generis sint, sine additamento hoc incertum foret, quinam II*vir* Pompeiis extiterit Oculatius.

Schol. II. Ad p. 69. v. 19. *M. Lucretius Epidius Flaccus* unus, idemque vir habendus nominibus quatuor designatus, idemque *Praefectus iuri dicundo*. Cuius, inquies, vices Praefectus iste Pompeis gerebat? Utique *C. Caesaris*, ut in titulo sequente n. 19., qui propterea illi tempore aliquantisper praeisse censendus est. Patet id ad oculum ex voce τȣ *Praefecti*, ολογραμματως insculptae, quae

gignendi casus est singularis, et ad τo M. *Lucretii* referenda. *Caium* porro *Caesarem* intellige *Caligulam*; cui *Duoviratus* I. D. a Pompeianis contigit triennio ante, quam Consulatum suffectum iniisset ex Kal. Julii cum *Ti. Claudio*, an. V. C. 390.

Qua chorda in M. Lucretio Epidio Flacco, eadem et p. 71. oberratum in L. *Licinio C. Adio*, cui uni cum duplici *praenomine* duplex *nomen* adhaeret. Hac de causa, non alia, minime IIvir, sed *απλως Vir* salutatur A. S. P. PROC. Quod et *factum* vide ad pag. 80. cum *A. Suellio Vero Aedili*, qui, quod unus erat, non II*vir*, sed V. A. S. P. P. dicitur. Uno lucis huius beneficio nubecula dispellitur, quae ad v. 17. caliginem offuderat. Perspectum eruditis, morem hunc nomina, ac praenomina sibi ambitiose coacervandi increbuisse praecipue ad finem inclinante seculo primo Aerae Christianae: nec ignotum tironibus, quot in ambages inextricabiles coniecerit saepiuscule viros doctos η κακοηθεια (1). Deleas igitur, quae n. 5. et. 6. paginae nostrae 80. et 89. ad punctum usque versus antepenultimi parum feliciter congesta vides.

Schol. III. In Com. V. p. 170. v. 18. loco τȣ *seclis abhinc fere* MM; lege sic: *annis abhinc fere* MM.

(1) Vid. F. A. p. 163. et not. 89. p. 178.

